



Mosheim s: Joh: L. aur: s diff. de Cireles in
Christi, Helmst. 1740

pfaffij / Christoph: Matth: / diff.
de Coelo Beatorum, Tübinge
1722

Reudenij s: Ambro: / theses de
Symbolo Apostolico, jene
1589

diff. de Geo ac Tribus
personis, jene 1589.

23-2

PSALTES PROPHETA
DE
MAJESTATE
CHRISTI
REDEMATORIS
AD PSALMVM VIII.

PRÆSIDE
JON. CONR. SCHRAMMIO
THEOL. D. ET PROFESSORE PVBL.
ORDINARIO

RESPONDENTE
JOANNE WEISE

etiam NVMB. MISNIC. SS. TH. CVLT.

IN ACADEMIA JULIA

A. MDCCXXVII. D. XIV. MAI.

DISP. THEOL.
ILLVSTRATVS.

HELMSTADII
TYPIS PAVLI DIETERICI SCHNORRII
ACAD. TYPOGR.



PSALTES PROPHETA
DE
MAGISTERIA
CHRISTI
REDIMTORIS
AD AGRICULTURAM

THESSALONICENSIS
ION. CORN. SCHRAMMI
THEOLOGUS ET PROFESSOR THEATRUM
ORDINARIO

JOANNES WEISE

ANNAE MAGDALENAE WEISE
A. M. TEGENKAMP D. XIX. M. A.
D. 1711. 1712. 1713.

ALIAS PAVEL. DIETRIGI SCHNORRI
ACAD. TYROGRI
HELMSTADTI





S. I. *Initium regia illustratio bo*



Salmo octavo, cui secundum locum inter Propheticos de Christo tribuimus, laudat Psaltes *Majestatem Christi Redemptoris nostri*, & vaticiniis singularibus prosequitur. Dirigitque in Allocutione suâ simul sermonem ac animum, ad hunc Deum Dominumque suum. Id quod (I) hinc manifesto elicimus argumento, quod ipse Servator è v. 2. verba quædam, præcipue huc facientia, in se adducat Matth. XXI, 16. Dicit David : *Ex ore infantium & laetentium perfecisti laudem.* Cumque pueri in turbâ, Messiæ accinente, repeterent illa è Ps. C XVII, 25. *Hosanna, filio David;* & Principes Sacerdotum ac Scribæ hoc elogium Christo inviderent, eumque, num audiret id, interrogarent, respondit : *Urique ; nunquam légistis : Quia ex ore infantium & laetentium perfecisti laudem ?* Ut ergo in eo non errare pueros, concedebant, quod verba illa Davidis : *Hosanna, filio David;* novo Messiæ tribuerent, ita nec corripiunt Servatorem, quod vaticinium quoque Psalmi VIII. de eodem adhibeat, & reliquis è Veteri Testamento testimoniis, ceremoniisque, circa ingressum suum in urbem Hierosolymitanam, annexat. Sed de personâ tantum ipsius dubitare videbantur, num in eam, quæ de Messiâ olim

prolata essent, omnino quadrarent. Alias omni jure instare potuissent, quae de Deo locutus sit Davides, nec in Messiam, nec in alium quenquam mortalium ullo modo, sine Idololatriæ specie, convenire. At verò tacent illi de ceteris vaticiniis, tacent & de hoc allegato, nec perperam in Messiam trahi, admittunt. Addit Lucas c. XIX, 39. quod nonnulli erga Christum institerint: *Magister, increpa discipulos tuos.* Quibus ipse responderit: *Dico vobis, quia, si hi tacuerint, lapides clamabunt.* Nempè quia hæc vere in personam suam, tot argumentis comprobata, & luculentissimè quadrabant.

§. II.

Accedit (II) Allegatio Paulina, Hebr. II, 5. 6. sqq. è v. 5. 6. 7. 8. hujus Psalmi, ad quem locum, cum ne quidem Autorem nominet, quod notissimus esset, & pro more Hebræorum tantum illud אָוּרָה, vel illud אַתְּ, simul adhibeat, integrum Apostolus necit discursum. Verba ejus sunt: *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, de quo loquimur. Testatus est autem in quodam loco quis, dicens: Quid est homo, quod memor es ejus, aut filius hominis, quamvis visitas eum? Minuisti eum paulo minus ab Angelis: gloriâ & honore coronasti eum: & constituesti eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus. In eo enim, quod omnia ei subjecit, nihil dimisit, non subjectum ei.* Quis ergo hic sit, digito monstrat v. 9. 10. *Eum autem, inquiens, qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus Jesum, propter passionem mortis gloriâ & honore coronatum: ut gratiâ Dei pro omnibus gustaret mortem. Decebat enim eum, propter quem omnia, & per quem omnia, qui multos filios in gloriam adduxerat, auctorem salutis eorum, per passionem consummare.* Nec aliud esse posse, quam Jesum Christum, totus indicat ordo ejusque connexio. Argumen-



mentatur enim Apostolus, quod, si quis per Angelos dictus sermo eò firmior fuerit, longè firmior inde sit sermo Christi, utpote qui prodierit ab ipso Domino, atque tot portentis, gratiæque Spiritus Sancti donis corroboratus sit. Quodque porro idem ille fit, qui Evangelium nobis annunciat, cui Deus orbem terræ subjicerit, idem, qui propter Passionem Mortis gloriâ & honore coronatus sit, idem denique, propter quem omnia, & per quem omnia, Autorque Salutis, per Passionem, juxta verba illa Davidica, consummatus. Ecce ergo quam diversa hæc sint ab Angelis, quos inde ideo prorsus excludit Apostolus, & quam diversa quoque à fratribus Christi, utpote quibus similis factus sit Filius Dei, quibusque nomen Dei annunciaverit, & quorum delicta etiam repropitiaverit. Per analogiam igitur forte de Homine, ante aut post lapsum, Dominio quodam in creaturas prædicto, hoc dici forte posset, sed non nisi quoad minimam partem, & propter id, quod cum Christo commune habet, ut in sequentibus apparebit.

§. III.

Denique etiam (III) Homini quidem in genere omnia dicuntur esse subjecta, v.7. id quod Paulus tamen præcipue, & *κατ' ἐξοχὴν* tribuit Christo I. Cor. XV, 27. ut & in Epist. ad Hebræos fecerat loc. cit. v. 8. Hic vero in Epist. ad Corinthios nec ipsam mortem eximit, quæ non subdita sit Christo, utpote quæ ex inimicis ipsius novissima sit, nec à quoquam aliàs subacta vel debellata. Verba Apostoli sunt: *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur.* Unusquisque autem in suo ordine, primitiæ Christus, deinde ii, qui sunt Christi. --- Oportet autem illum regnare, donec ponat omnes inimicos sub pedibus ejus. Novissima autem inimica destruetur mors. Omnia enim subje-

A 3

cit



cit sub pedibus ejus. Cum autem dicat : Omnia subjecta sunt ei, sine dubio præter eum, qui subjicit ei omnia. Cum autem subjecta fuerint illi omnia, tunc & ipse Filius subjectus erit ei, qui subjicit sibi omnia, ut sit Deus omnia in omnibus. Opponuntur ergo Christo Redemtori non solum homines reliqui, sed & ipse Deus. Illi, cum dicit Apostolus omnes in Adam mori, & in Christo omnes vivificari. Nemini enim mortalium potestas vivificandi competit, nisi soli Christo. *Qui manducat carnem meam, inquit ille, & bibit meum sanguinem, habet vitam eternam,* Joh. VI. 55. add. Joh. V. 21. 26. 27. Apoc. I, 18. Ponitur autem idem Servator in eodem ordine cum ceteris, & instar Primitiarum; ut inde constet, ipsi quoque secundum Humanam Naturam hanc potestatem tribuendam esse, ejusque Carnem verè esse vivificam. Deinde etiam, ut verba Psalm. CX. 1. sine dubio, & ex omnium confessione, de Christo prolatâ sunt, ita & cum hoc loco conjunguntur verba Ps. II. 9. 7. ut unus ex altero corroboretur, Christumque in specie designari utробique, appareat. Scilicet ut invicem Matth. XXI. jungabantur Zach. IX, 9. Ps. CXIX, 25. & Ps. II. 9, 2. Deus ipse verò opponitur Christo, Filio suo, secundum Humanam Naturam, utpote secundum quam huic *data est omnis potestas in coelo & in terrâ*, prout ipse testatur Matth. XXII, 18. Si ergo nec Deus est, cui omnia hic dicuntur esse subjecta, nec hominum aliquis, præter Christum, nec quoque Angeli sunt, ut aperte Paulus §. præcedente demonstravit, sequitur, hunc Psalmum II. Vaticinium de Christo citrâ ullam dubitationem continere.

§. IV.

Ideoque etiam Patres & Theologi plerique meliores vaticinia hic talia agnoscunt. THOMAS Aquinas, qui



qui sectator AVGVSTINI esse solet, ad verba : Quàm admirabile est nomen tuum. Scilicet Divinitatis, inquit ; --- It. Christi Incarnati. Et ad v. 5. sqq. Quid est homo, &c. Pos-
sunt & hec ad beneficia in genere referri : & tunc in his o-
mnia Mysteria Christi numerantur. Primò Incarnationis
(v. 5.) --- Secundum est Passionis ; (v. 6.) --- Tertium est be-
neficium Resurrectionis ; (v. 6.) --- Quartum mysterium est
Ascensionis. (v. 7.) Et CALOVIVS è JVNIO, ad v. 3. Deum sese
laudabilem nobis exhibere, infinita & supercoelesti gloriâ,
in Christo Iesu. Et è TARNOVIO ibid. Magnificum nomen
tuum est in universa terrâ, tempore præsertim Novi Testa-
menti. E LVTHERO verò : Video, inquiente, ab omnibus
ferè per hanc gloriam, seu magnificentiam seu laudem Dei, in-
telligi Christum Filium Dei. --- Et horum sententia mihi quo-
que non displicuit. Judæi quidem recentiores, quales Kim-
chi, Aben Esra, & similes, hunc Psalmum de Homine in
genere exponunt, fortè quod metuerent, alias malè se
causæ suæ patrocinari. At veteres Theologos ipsorum præ-
cipua ejus oracula ad Christum retulisse, testis est locus in
RAYMVNDI Pug. Fid. à VOISINIO editus, ad cap. II. Part. III.
Dist. III. p. m. 520. ubi ad Zach. XII. 8. Et Domus David
quasi Dei ; ita disseritur : Quod etiam ait : Quasi Dei ; &
non posuit simpliciter Deus, insinuat, quod is, qui de Domo
David erat oriturus, in aliquo minor esset, quam Deus. Quod
& David in Ps. IIX. testatur, cum dicit v. 6. Minuisti eum
paulò minus à Deo. Hæc PETRVS ALPHONSVS, Judæus con-
versus, Sec. XII. Cui non est, quod objicias Doctrinam
Christianam, ab ipso receptam, cum loquatur ex arcana
Judæorum hypothesi, cuius satis gnarus fuerat. De Os-
culo, Fratribus suis à Messâ infixo, ex illo Cant. I. i. & Ps. IIX.
5. plura jam dicere nihil attinet, de quo deinde ad v. 5.
Dixeris, hunc esse Lusum Ingenii. Sed respondemus,
quid



quid ergò, si hic est, Lusus Ingenii non est, in Scripturæ Exegesi? Accedunt enim demonstratio & judicium, quibus vis illa ingenii adjuvetur. Et sic præferendus est sensus convenientior. De Raschio §. sequenti.

§. V.

Nunc ergò ad seriem Contextus. Psalmus hic, cum de *Majestate Christi Redemptoris* agat, (I) à v. 1-4. laudat Majestatem Filii Dei suprà omnes Creaturas in genere, & (II.) à v. 5. -- fin. laudat in specie, quod assumtâ Huminâ Naturâ, hominem hoc pacto redemerit, seque cum in Statu Exinanitionis, tūm in Statu Exaltationis, verum esse Redemptorem, demonstraverit. Antequam autem ad Explicationem singularum partium descendamus, Titulus Psalmi considerationem merebitur. Hic ita habet: לנצח
הנחתת שמר לדור Pro præcentore in Gittæ, Psalmus Davidicus. Ubi primò indicatur *Autor*, David, hinc & *Materia*, quæ est Psalmus vel Carmen, ac denique *Modus canendi*, dum dicitur Psalmus hic eum in modum compositus, ut decantaretur à Præcentore, Gittæ Instrumenti perito. Habebat enim David varios Musici Chori præcentores, tam voce, quam instrumentis artem suam exercentibus, ut docemur I. Par. XXV. i. sqq. II. Par. V. 12. Ac talem quoque Præfectum indicat מנצח, quæ vox alibi quoque v. gr. II. Par. II. 2. & XXXIV. 13. & in choro Musico II. Par. XXXIV. 12. Præpositos designat. Quanquam vero in locis Chronicorum citatis Instrumenti hujus Gittæ mentio haud fiat, patet tamen ex aliis Psalmis, invicem collatis, quod hic vox *Gittit* optimè explicari queat per certum Instrumentum Musicum, ab urbe *Gath* appellatum, ut pote à Philistæis ibidem inventum atque confectum; de qua urbe II. Sam. I. 21. Sic enim & in Psalm. XLVI. i. in titulo habetur:

Biblio



betur : *Super Elamit*; i.e. ab urbe *Elam*, in Persiâ, eâdem ratione denominatum. Et Ps. V. 1. *El Hannechilot*, h. e. ad modulos *tibiarum*. Psalm. IV. 1. *Binneginot*; item Ps. LIII. 1. super *Citharas* vel *Citharam*, vel ad *Pulsationem Fidium*; ut rectè reddidit B. Lutherus, quem ideo laudat GESNERVS, ad init. hujus Psalmi. Conf. I. Sam. XVI. 16. II. Reg. III. 15. Et huic sententiae quoque accedit Chaldaeus, qui reddidit : *לְשִׁבְחָה עַל כְּנֻרָא וְאֶתְיוֹתָה* *Ad præcinendum in Citharâ*, quam adduxerat (David) ex urbe *Gath*. Quam amplectitur CALOVIVS Bibl. Illustr. ad h. l. qui ita de GROTIo : *Non obscurè suffragatur Chaldaeo*, cuius etiam sententia convenientior videtur. *Quia in Hebreo non habetur חֲנֻתָה, quod torcularia notat, sed חֲנִירָה*; unde ut insimili constructione post vocem *לְמַנֵּצָה* *Instrumentum Musicum* notari solet, tale etiam hîc designari, verisimile est. Consentit & maximam partem LUTHERVS, qui ita non solum T. II. Jen. Lat. in Comm. ad hunc Psalm. sub init. *Novus hic titulus*, quid per *Torcularia sua*, (*Gat enim Torcular significat*,) velit, tantâ varietate disputatum est, ut ego me fatigare confusum, nescire, quis inter tot melius senserit. Tres enim in universum Psalmi, qui *Torcularia* in titulis præfixa habent, hic IIX. David inscriptus, LXXX. Asaph, & LXXXIV. filius *Chore*. Nec est verisimile, (*id quod Hebreorum præstantes concedunt*,) Davidem hunc Psalmum in torcularibus Palæstinorum composuisse, quando eâdem ratione & Assaph, & filius *Chore* suum ibidem composuisse, sequeretur. Nec legitur David fuisse in torcularibus Palæstine, sed in *Geth*, (*que postea literarum simili prolatione Gaza dicta est*), civitate Palæstine. -- *Proinde quandoquidem literam querimus, propè in Lyranam eo sententiam, qui Githith arbitratur esse Instrumenti Musici nomen proprium*. Sed & cum titulum reddit : *auf der Githith*. Quod autem David, cum favorem



rem regis Achis ambiret, inter Philistæos, & in urbe Geth commoratus sit, constat e I. Sam. XXVII, 4. 7. Et nunciatum est Sauli, quod fugisset David in Geth, & non addidit ultra querere eum. -- Fuit autem numerus dierum, quibus habitavit David in regione Philistinorum, quatuor mensium. In Hebræo additur adhuc annus integer. Qui ergo LXX. Interpretes sequuntur, qui reddiderunt ὑπὲρ τῶν ληνῶν, de Torcularibus; abeunt à scopo & significatione verbi in hoc loco, ut ut ad materiam cum Autore Psalmi dici possint alludere. Proinde ABEN ESRA: וְמַה בְּלִיָּת אָמַרְתָּ נָתָן: Qui verò vana amplectuntur, (ita Christianos nominat,) de modulo, à calcantibus torcularia adhbito, intelligunt. Melius quidem RASCHI: כל ר' זמר שבא: מות שם מצויים אומני לעשוה: Instrumentum Musicum è Gath adductum, ubi erant artifices, qui talia componebant. Sed reliqua facile arguunt, eum, cum rejicit significacionem Torcularium, simul explicationem majorum suorum de rebus futuris, tempore Messiæ expectandis, repudiare, & veritati testimonium studiò subtrahere. Verba ejus sunt: וּבָתוּתְךָ אָמַרְתָּ עַל אֶרְזֵ שְׁתִירֹתְךָ לְוַךְ נָתָן כָּמוֹ שֶׁנָּאָמַר פָּרוּחַ וּרְכָבִי לְבָרֵךְ אֶךְ עַנְזָן הַמְזֻמָּר אִינוֹ מִזְבֵּחַ Doctores nostri intelligunt de Edom, (hostibus Messiæ,) qui instar torcularium conculcandus sit. Siquidem dicitur: (Ez. LXIII, 3.) Torcular solus calcavi. Sed scopus Psalmi hanc significacionem non arguit. Sed quare non? Contrarium deinceps apparebit e v. 7.

§. VI.

Quanquam verò de Instrumentis Musicis plerumque exponi possint ejusmodi tituli, si sensum Literalem sequaris, dubium tamen non est, hac Instrumentorum Varietate Davidem ad Materiam cujusque Psalmi simul allusisse. Id quod ex consequentibus Psalmis suo loco appa-



apparebit. Idemque appareat è verbis ultimis prophetæ Habacuc c. III. 19. *Ponet pedes meos quasi cervorum, & super excelsa mea deducet me viator, in Psalmis canentem.* Ut ad Psalm. XXII. titulum notabimus. Hinc THOMAS l.c. *Pro Torcularibus, hoc ad Literam.* Sed Spiritualiter Torcular est Ecclesia. Et plenius B. LUTHERVS l.c. Aut concedendum est priscis Patribus, qui mysteria secuti, per torcularia intelligunt martyria, passionesque Christi & Ecclesiae. Siquidem & nonnulli alii Psalmi notantur aliquo insigni, preter usum, vocabulo, ut videbimus suo loco, quo moveremur ad spiritum querendum. -- Verum B. Augustinus satis eruditè per torcular intelligit ministerium Verbi Dei in Ecclesiā. -- Et hæc sententia ad scopum Psalmi facit, in quo describitur nomen Domini, in terrâ magnificatum, populus Christo subiectus, & destructus inimicus. Addimus & illud, quod David etiam in hoc Psalmo ad statum suum in urbe Geth, ubi inter inimicos, & tanquam in torculari degebat, ac gemebat, sed eò celebriorem se inde redditum confidebat, & Passionum ac Gloriæ Christi secuturæ, quin & omnium Fidelium imaginem præferebat, unà animum ac Poësin Divinam dirigere potuerit. Ceterum de Titulis Psalmorum jam olim GREGORIVS NYSENVS, Libris duobus, εἰς τὴν ἐπιγραφὴν τῶν ψαλμῶν, qui extant T.I. Opp. p. 257. & postmodum B. SONTAGIVS Tr. peculia-ri, multâ doctrinâ, multoque labore composito.

§. VII.

Igitur in Part. (I) quâ laudatur *in genere Majestas Personæ Christi, generisque humani Redemptoris, notanda (a) est Allocutio v. 2. Domine (Jehova) Dominus noster.* Quæ de- mûm est congrua illa, & magnifica Servatoris nostri appellatio. *Jehova* est ipsum nomen Essentiale Dei, de quo Exod. III. 13. 14. 15. VI. 3. solique Deo proprium, Es. XLII. 8. Id quod



tamen Jerem. XXXIII. 15. 16. ideo quoque Christo imponendum fore dicitur, quoniam hic nostra iustitia est. Sic enim ibidem: *In diebus illis, & in tempore illo, germinare faciam David germen iustitiae, & faciet iudicium & iustitiam in terrâ. In diebus illis salvabitur Iuda, & Jerusalem habitabit confidenter.* Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: *Dominus justus noster.* Rectius: *Jehova iustitia nostra.* Conf. I. Cor. I. 30. Cum quo nomine convenit illa descriptio, quâ se ipsum notat Servator Apoc. I. 17. 18. *Noli timere. Ego sum primus & novissimus; & vivus, & fui mortuus; & ecce sum vivens in secula seculorum, & habeo claves mortis & inferni.* Ideoque etiam Dominus ille Dominantium est, quem vocat Paulus I. Tim. VI. 15. & Johannes Apoc. XVII. 14. *Unusque Dominus, Eph. IV. 5. & Dominus Deus noster Omnipotens, Apoc. XIX. 6.* In quo per Pronomen: *Noster;* pariter, ut in pluribus aliis locis, Fiducia & Obedientia Davidis, omniumque Fidelium Christi, exprimitur, ut & Christus hanc vult in precibus indicari in Oratione, cuius formulam præscribit Matth. VI. 9. *Pater noster.*

§. IIX.

Allocutionem Redemptoris sequitur (3) ipsa *Celebratio Majestatis ejus* vers. 2. *Quâm admirabile est nomen tuum.* Secundum Hebræum: *Quâm potens vel magnificum est nomen tuum.* Græci quidam: *μέγα.* Nomen rei vel Essentiam ejus & Attributa vel horum Effectum & Autoritatem designat. Ut Exod. XX, 7. *Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum.* Et Matth. VI, 9. *Sanctificetur nomen tuum.* Ideoque quod paulò ante dixerat, idem nomen hic quoque geminum intelligit: *Jehova, Dominus noster.* Luth. *Herr unser Herrscher.* Ubi prius est nomen Essentiæ, alterum Officii & Autoritatis. Quemque allocutus fuerat



rat eodem nomine, illum quoque nunc celebrat, ejusque cum Essentiam & Attributa, tum Autoritatem & Opera tremenda extollit. Imprimis quotquot eorum Redemptorem arguunt, atque in Salutem Hominis tendunt, & Annunciationem Evangelii, lætumque hujus Successum & Efficaciam concernunt. Laudat verò primum per γραπτα, Nomines hujus Potentiam, hoc est, totam Dei Magnificentiam. Prout Paulus hanc brevi appellatione vocat *totam plenitudinem divinitatis, quæ in Christo inhabitet corporaliter,* Col. II, 9. Et ipse quondam Servator Matth. XIIIX, 18. eandem indicat, quæ sibi secundum Humanam Naturam concessa sit, & à se per varios Actus Imperii, ac Potestatis Spiritualis Supremæ, exercita, cum ait: *Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti: docentes eos servare omnia, quæcunque mandavi vobis.* Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi. Addit Paulus etiam huic Potestati Cultum debitum atque universalem, qualis soli Deo convenit, Phil. II, 9. sqq. Propter quod, inquiens, & Deus exaltavit illum, & donavit illi nomen, quod est super omne nomen: ut in nomine Jesu omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum; & omnis lingua confiteatur, quia Dominus Jesus Christus in gloria Dei Patris. Vulgatus reddit per: Admirabile; & LXX. θαυμαστὸν. Nec sensus repugnat. Quicquid enim est potens ac tremendum, quicquid magnificum est, & captum nostrum transcendit, id merito in confessione nostrâ admiramus. Hinc Es. IX, 6. de Messia: *Et vocabitur nomen ejus, Admirabilis.*

§. IX.

Augmentum hujus Potentiae ac Majestatis sumitur (γ)

A 2

à Lo-



à Loco v. 2. Nempè primùm : *In universâ terrâ* ; & hinc etiam in Cælis celebrari, gaudet, *Quoniam*, inquiens, *elevata est magnificentia tua super cœlos*. Innotuit enim Evangelium per totum terrarum orbem, prout Col. I, 23. *Quod prædicatum est in universâ creaturâ, quæ sub cœlo est, cuius factus sum ego Paulus minister.* Et Rom. X, 18. *In omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Sed & usque in cœlos, & suprà cœlos hæc Gloria Christi dicitur elevata. Juxta tenorem textus Hebræi : *Vbi cedò gloriā tuā* (כְּדָרֶךְ) *super cœlos.* Nam Particula חַנָּה est ab Imperatiyo תִּתְן à verbo נָתַן dedit, cum ᄀ Paragogico, affectum majorem indicante, & significat : *Cedò, Ecce. Vt Ps. LXXXV, 16. :* חַנָּה עַד לְעַבְּרוֹן Cedò, robur tuum servo tuo. Super Cœlos autem hæc Majestas elevata, cum immotuit principatibus & potestatibus in cœlestibus, per Ecclesiam, multiformis Sapientia Dei, Eph. III, 10. cf. I. Tim. III, 16. I. Petr. I, 12. Deinde etiam cum laudata ibi fuit, tam à Beatis Cœlitibus, ante thronum Dei stantibus, eique die ac nocte in templo ejus servientibus, & ab Agno, qui in medio throni est, ad vitæ fontes deductis, Apoc. VII, 15. quam ab Angelis, juxta Luc. II, 13. ubi sic militia cœlestis : *Gloria in altissimis Deo.* Et Hebr. I, 6. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Denique cum boni pariter ac mali Angeli Christum Dominum suum haud obscure confessi sunt. Illi, quandò post Tentationem Sathanæ accesserunt, eique ministrârunt, Matth. IV, 11. Hi, cum Filium Dei Altissimi dixerunt, eumque ne torqueret ipsos ante tempus, rogarent Marc. V, 7. Matth. II, 29. *Gloria vero Cultum & Admirationem continet, de quibus sub finem §. præcedentis.*

§. X.

Porrò etiam Laus ejusdem Majestatis augetur (δ) à Testimo-



stimentiis, quæ h̄ic extenduntur usque ad *Infantes & Laetentes*. Ex ore, inquit vir divinus v. 3. *infantium & lactentium perfecisti laudem, propter inimicos tuos, ut destruas inimicum & ultorem*. Non poterat testes advocare meliores ē toto hominum genere, quām eos, qui vitæ innocentia ceteros superant, nec studio ullo vel affectu ducuntur. Judæi hos adhibuisse feruntur, cum Deus Legem promulgaret in Monte Sinai. Cum enim ipsi frustrā Deo obtulissent Patres suos, qui pro se fidejuberent, quod Legem impleturi essent, frustrā quoque Prophetas, utpote reos omnes graviorum delictorum & affectuum, Ezech. XIII, 4. tandem ita instant in *Midrasch Tanchumah*, apud RAYMVND. in Pug. Fid. p. 474. edit. Paris. בְּנֵי עֹרְבִין לֹנוּ אָמַר לְחַן הַבָּה עַל יְדֵיכֶם אֲנֵי נוֹתֵן לְכֶם : תְּהִר מִפְּעָלָיו וּוֹנְקִים יִסְרֹת עַז וְאַז עַד אֶלְאַתָּה שְׁנָה וְהַז : Filii filiorum nostrorum fidejubebunt pro nobis. Respondit ipsis Deus Sanctus Benedictus : Propter horum demum intercessionem eam (Legem) vobis dabo. Et hoc est, quod scribitur : (Ps. IIX, 3.) *Ex ore infantium & lactentium fundasti fortitudinem*. Nec est in hoc loco *Fortitudo*, nisi Lex, sicut dictum est : (Ps. XXIX, II.) *Dominus fortitudinem populo suo dabit*. At rectius hanc Fortitudinem de Christo ejusque Evangelio sumere potuissent. In Christo enim requiescit *Spiritus Domini, Spiritus consilii & fortitudinis*, Es. XI, 2. Et quid clarius verbis illis Paulinis Rom. I, 16. quibus Evangelium δύναμις Θεος, Potentiam vel Virtutem Dei appellat, ad salutem omni credenti. Hoc igitur illud robur est, ad quod laudandum amplificandumque tandem pueri, cum ceteri vel adulti, vel magnates, quācunque etiam doctrinā vel pietate eminere cuperent, indigni essent, à Christo ipso admittebantur, & Vaticinio huic Davidico inde quoque robur suum



suum ac complementum conciliabatur, Matth. XXI, 16. Profitebantur enim illi, Christum esse mundi Servatorem & ab ipso Deo missum; ideoque ipsum etiam invocabant, qui se servaret, ut è §. I. constat. Merito ergò erubescere poterant inimici Christi, vel ut Paulus nominat, *inimici Crucis Christi*, Phil. III, 18. summique tūm temporis Doctrinæ Sacræ ac Reipublicæ Judaicæ vindices, quod pueris hisce postponerentur. Non enim multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed quæ stulta sunt mundi, elegit Deus, ut confundat sapientes, & infima mundi elegit Deus, ut confundat fortia, & ignobilia mundi, & contemtibilia elegit Deus, & ea, quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destrueret, ut non glorietur omnis caro in conspectu ejus, I. Cor. I, 26. sqq. Hic verò instat B. LVTHERRVS ad hunc Psalmum: *Magnam nobis questionem moveat hoc loco autoritas Christi, qui Matth. XXI, hunc versum adducit, & aptat pueris.* --- Si enim de ipsis pueris ad literam solum intelligitur Psalmus, ut volunt quidam, jàm nec præcedentia nec consequentia consonabunt, cum de nomine Domini, in universâ terrâ magnificato, ante locutus sit, quod post passionem factum est. Deinde si rigorem literæ sequamur, ipsi pueri nec infantes, nec lactentes erant, quando verbis formatis benedicebant, & cantabant: *Osanna in excelsis.* At Christus hic in exemplum solum trahit parvulos istos, qui ipsum, ut Redemptorem Mundi invocabant, cordeque hinc credebant ad Iustitiam, ore autem confessionem ad salutem edebant, Rom. X, 10. Quare in his fundata videbatur ipsa illa Evangelii Efficacia, quæ ex Invocatione eorumdem fuit comprobata. Nec verò vaticinium hoc Davidicum, quo in genere de parvulis loquitur, neque Christus, in parvulis nonnullis complementum hujus vaticinii ostendens, similes his volunt excludi. In genere enim



enim, ut B. LVTHERV^s loc. cit. *simplices & recti cor-de*, quibus secundum Christi & Apostolorum mandata similes fieri jubemur, Matth. XIII, 3. I. Cor. XIV, 20. I. Petr. II, 1. in specie vero, & ad exemplum reliquorum, pueri de Christo testantes intelligendi. Quod & de lactentibus dictum esto. Quorum egregium, & quod facile vaticinii hujus veritati respondeat, in Johanne, Jesum Redemptorem, ejusque Doctrinam, in utero adhuc materno obsignante, habemus exemplum, Luc. I, 41. ex quo de Fide Infantum, adhuc Lactentium, testemur. Sic enim in Corp. Doctr. Jul. Part. II. p. 115. Der Geist der Wiedergebuhrt und Erneuerung ist in ihnen kräftig/ daß sie dasjenige/ so ihnen in der Heil. Taufe gereicht und verschencket wird/ annehmen mögen/ ob wir es schon nicht wissen/ noch verstehen/ wie dasselbige geschehe. Und das meinen wir/ wenn wir lehren/ daß die Kinder einen eigenen Glauben haben. — Auf solche Weise kan man bey den rechten Verstande bleiben/ und sein unterschiedlich mit den Worten der Schrift/ von der Sache reden/ auf daß man auf den rechten Wege bleibe. Conf. Disp. D. OSIANDRI de Fid. Infantum, Tub. 1672. Tacemus, quæ scribit Paulus Rom. II, 15. Gentiles citrā ullum ætatis discriminem opus Legis scriptum in cordibus suis ostendere; quoniam hæc etiam Naturæ quædam est Efficacia, cum Psaltes magis ad Gratiam respiciat.

§. XI.

Sed & *Testimonium Laudis* desumptum est (*) à *Creaturis* reliquis, ratione haud præditis, v. 4. *Videbo cœlos tuos, opera digitorum tuorum: lunam, & stellas, quæ tu fundasti.* Procedit vates per gradus, & ab Intelligentiis Excellenteribus descendit ad Infantes, ac demum in Substantiis Non-Intelligentibus consistit. *Videbo, inquit, cœlos tuos.*

C

Hos



Hos nominat, primò, quia sunt Creaturarum non intelligentium præcipui, utpote vastissimi, cum terra solum instar puncti sit, omniumque maximè ornati, ac manifesti, sive quis in terris, sive in mari, sive in aëre degat, & in admirationem usumque præcipuum omnium mortalium cedentes. Hinc David reticet reliqua, & tantum cœlum nominat Ps. XIIIX, 2.3. *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annunciat firmamentum.* Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt loquela, neque sermones, quorum non audiantur voces eorum. Quod & ipsa hominis natura, quâ fertur in cœlum, arguit.

Pronaque cum spectent animalia cetera terram,

Os homini sublime dedit, cœlumque tueri

Fussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Conf. El. XL, 26. Deinde etiam Cœlos Christi appellant, super quos Christus ascendit, ut omnia impleret, & unde, captivam ducent caputritatem, dona dedit hominibus, Eph. I, 8. seqq. è Ps. LXVII, 19. In quos ascendit, & sedet à dextris Dei, Marc. XVI, 19. Luc. XXIV, 51. Et unde veniet iterum, ad judicium supremum instituendum, Act. I, II, conf. Math. XXV, 31. XXVI, 64. Et hanc rationem nobis suppeditat Paulus Eph. I, 20. seqq. cum ex hoc Psalmo II X, 8. verba adducit, & ad cœlestem Christi sedem statumque accommodat, in quo omnia Christo subjecta sint. *Suscitans, inquit, illum à mortuis, & constitutens ad dextram suam in cœlitibus, suprà omnem principatum, & potestatem, & virtutem, & dominationem, & omne nomen, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro.* Et omnia subjecit sub pedibus ejus, & ipsum dedit caput suprà omnem Ecclesiam. Denique etiam cœlos hos considerare vult Psalmista, quos Christus sedem Beatis ultimam præfixit. Hunc ergo & ipse finem sibi proponit, quô maximè delectetur, animumque à rebus ter-



terrenis abstrahat, juxta illud monitum Paulinum Col. II,
 i. Si consurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt, querite,
 ubi Christus est, in dextrâ Dei sedens; quæ sursum sunt, sa-
 pite, non quæ super terram. Et Ps. III, 20. Nôstra autem
 conversatio in cœlis est, unde etiam Salvatorem expectamus.
 Hæc ergò sunt, quæ David admiratur, tanquam præcipuos
 Majestatis ac Bonitatis Dei testes. Vnde vocat Opus Di-
 gitorum ipsius. Nam omnia per Christum, & in Christo
 facta sunt, & ipse est ante omnes, & omnia in ipso constant,
 Col. I, 16. 17. Joh. I, 3. Digitusque ipsius est illa Potentia Di-
 vina, quâ ejiciebat Dæmonia Luc. XI, 20. & alia Mira-
 culâ perpetrabat, Joh. II X, 6. Esaias in Plur. Numero
 tres tantum digitos nominat, ut Potentiæ hujus magni-
 tudinem, Molisque productæ aut sustentatae contrâ levita-
 tem, inter se comparet, Quis inquiens c. XL, 12. appendit
 tribus digitis molem terræ? Sed & Lunam, & Stellas, subji-
 cit Cœlis, quæ præparaverit in Gloriæ suæ Augmentum.
 Quoniam hæc corpora cœlestia oculis maximè patent, ac
 Cœlitum, inter quos & ipse David locum expectat, Imago
 esse solent. Ita Paulus I. Cor. XV, 41. Alia claritas solis,
 alia claritas lunæ, & alia claritas stellarum. Stellæ enim à
 stellâ differt in claritate; sic & resurreccio mortuorum. Et
 Dan. c. XII, 3. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi
 splendor firmamenti, & qui ad justitiam erudiant multos,
 quasi stellæ, in perpetuas æternitates. Et hue quoque Visio
 tendebat Apoc. XII, 1. quâ Johanni ostendebatur Mulier,
 (quæ Christi Ecclesia est,) amicta Sole, & Luna sub pedi-
 bus ejus, & in capite ejus corona Stellarum duodecim.
 Quærerit GESNERVS ad h. l. cur Solem omiserit David, &
 respondet, quod Christus ipse Sol sit, Mal. IV, 2. cui Side-
 ra testimonium præbeant. David autem hio propriâ suâ,
 sibique similium imagine delectatur. THOMAS: Lunam
 verò



verò nominat & non Solem, propter Gentiles, qui credebant eum summum Deum. Et ideo ponit Spiritualiter Lunam & Stellas, in quibus non est manifesta ratio erroris. Eccl. XVIII, 10.

§. XII.

Postquam ergò laudibus prosequutus est Personæ in Redemptore suo Majestatem, pergit Parte (II) ad eandem in specie considerandam, & prout a se haud alienum putavit, Generis Humani misereri, arduumque illud Redemptoris subire officium. Sic ergò, ut est communicata hæc Majestas Humane Naturæ, ab illo depraedicatur, cum (a) hinc admiratur Mysterium Incarnationis, atque ita de eo exclamat v.5. *Quid est homo, quod memor es ejus? aut filius hominis, quoniam visitas eum?* Celebrat his verbis primò Memoriam Dei erga Hominem benevolam, quod non solum elegerit eum ante mundi constitutionem, ut esset sanctus & immaculatus in conspectu ejus in charitate, sed &, cum lapsus esset gravissime, in Adoptionem filiorum per Christum iterum prædestinaverit Eph. I, 4.5. Quæ nova ejus Gratia statim in Paradiso eluxit Gen. III, 15. ubi Irām temperavit Misericordiâ, mulierisque semen, ad conculcandum caput serpentis, promisit. Gratosam illam Recordationem laudat Mater Domini Luc. I, 54. *Suscepit Israel puerum suum, recordatus Misericordiæ sue.* Ipseque de hac testatur Es. XLIX, 14. sqq. *Dixit Zion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. Numquid oblivisci potest mulier infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui?* & si illa oblitera fuerit, ego tamen non obliviscar tui. Deinde quoque commemorat, quod hominem visitet, Hebr. וְרָאֵה, hoc est, quod eò quoque amore suo adductus sit, ut ipse in has terras venerit, & Humanam Naturam assumserit. Benè Thomas ad h.l. *Duo hic homini præstare Deum, scilicet quod memo-*



memoratus est ejus, & quod visitat eum. Primum pertinet ad curam, secundum ad familiaritatem spiritualem. Hominem vero, Filiumque hominis, huic Gratiae opponit, propter duas causas, nempe quod non solum res vilis sit in conspectu Dei, homo in se consideratus, & ut Abraham dicebat, pulvis & cinis, Gen. XII, 27. vel ut Christus Matth. XVI, 17. Caro & sanguis, sed etiam quod res maximè immunda sit, Filius Hominis, & delictis post lapsum suum obnoxia. Job. XIV, 4. Quis potest facere mundum, de immundo conceptum semine. At quantacunque ea sit immundities, tamen eam à Gratia Dei longè superari, indicat. Ita hæc duo Paulus invicem comparat Rom. V, 20. 21. Vbi abundavit delictum, superabundavit gratia, ut sicut regnavit peccatum in mortem, ita & gratia regnet per justitiam in vitam æternam, per Jesum Christum Dominum nostrum.

§. XIII.

Hic vero omittendum non est illud, quod Theologi quidam nostri, *hunc hominem non in specie de quovis homine, & toto genere humano, sed in individuo de Homine Iesu Christo intelligent*, docentibus id verbis GESNERI è Comm. in h. l. Quod quidem nos facile quoque agnoscimus, si Individuum hoc vel alia Individua, vel Speciem non excludat integrum. Nam Spiritus Sanctus, quem ducem sequimur cum GESNERO, Hebr. II. sub hoc homine ipsam Humanam Naturam, prout eam Christus Redemptor noster quoque assumit, efferti, capite citato II. Epistolæ ad Hebreos, v. II. 14. & 16. indicat. Cum enim locutus ibi esset Apostolus de Christo, prout per Passionem consummatus est, id unicè in illorum solarium usumque cedere, monstrat, qui ejusdem cum ipso Naturæ sint : *Qui enim*

C 3

fan-



sanctificat, inquit ideo v. II. & qui sanctificatur, ex uno o-
 mnes. Propter quam causam non confunditur, fratres eos
 vocare, dicens: (Ps. XXI. 23.) Nunciabo nomen tuum fratri-
 bus meis. (Quæ verba sunt instar luculentæ explicationis
 Davidicorum.) --- Et iterum: (Eccl. VIII. 18.) Ecce ego, &
 pueri mei, quos dedit mihi Deus. Unde porro infert ne-
 cessariam quandam Naturæ ejus, cujus sint pueri isti,
 quos appellat Christus, sub Prophetæ Imagine, ipsiusque
 Christi perfectam similitudinem. Quemadmodum ergo,
 inquiens v. 14. pueri communicaverunt carni & sanguini,
 & ipse similiter participavit iisdem. Ac denique ejusdem
 Naturæ esse debuisse Redemptorem, concludit, cum iis,
 quorum misertus sit, qui non Angeli, sed Homines sint,
 v. 16. 17. Nusquam enim Angelos, ait, apprehendit, sed semen
 Abrabæ apprehendit. Unde debuit per omnia fratribus si-
 milari, ut misericors fieret, & fidelis Pontifex ad Deum.
 Accedit, quod Filium Dei his verbis alloquatur David:
*Quid est homo, quod memor es ejus, & filius hominis, quoni-
 am visitas eum?* Quod si jam Christi tantum Personam
 putaret, per hominem, aut filium hominis, idem foret, ac
 si dixisset, quid ipse es, quod memor es tui? &c. & hoc mo-
 do formula illa loquendi non solum inconvenientiam,
 sed & contrarium intentioni ipsius adduceret. Igitur per
 hæc verba: *Quid est homo, quod memor es ejus?* Cau-
 sam Incarnationis intelligit uterque, Psalmista, in vatici-
 nio, & Apostolus, in citatione, quæ tam dulcis est totius
 Humani Generis Memoria, ut etiam exclusis Angelis,
 Humanam Naturam omnibus aliis præferret, & ad ean-
 dem ab interitu vindicandam, ipse in Unitatem Personæ
 suæ adscisceret, idemque ab homine nasceretur, vel ipse
 fieret Filius Hominis. Et hunc Effectum, seu Incarnatio-
 nem ipsam, videntur indicare verba posteriora hujus ver-
 sicu-



Siculi: *Aut filius hominis, quoniam visitas eum. Quæ LV-*
THEVR S recte: Dass du dich sein amstimmst. Quibus
ferè formulis utuntur Maria & Zacharias. Illa, Luc. II.
48. *Respexit humilitatem ancillæ suæ. Hic, v. 68. Benedictus*
Dominus Deus, quia visitavit, & fecit redemtionem plebis
suæ. Et v. 78. Per viscera misericordie Dei nostri, in qui-
bus visitavit nos oriens ex alto. Ita AVGUSTINVS &
CASSIODORVS, quos absque causâ hîc rejicere videtur
B. LVTHERVS. *Quam summam Christi clementiam ac*
humilitatem laudat quoque Apostolus Phil. II.6. sqq. quod,
cum in formâ Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se
equal' em Deo: sed semetipsum exinanivit, formam servi ac-
cipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus
ut homo. Proinde & hoc dictum adducit LVTHERVS, ut
eandem Antithesin, quam vocaverat, inter Memoriam Dei &
Oblivionem nostram, atque inter Filium Hominis, hujusque Vi-
sitationem & Appetitum ostenderet. Additque: Non enim in-
ventus est ut Rex, --- sed ut Filius hominis, (quem titulum
communem, quantumlibet omnium novissimum, (Ef.
LIII.3.) & vilissimum, dixerat paulo ante,) similis homini no-
vissimo. Deinde & maximè assimilatus est peccatoribus. --- Ut
non solum ipsi, sed nec ulli mortalium videretur Deus esse me-
mor ejus, aut eum visitare. Quadrat hîc etiam illud Osculum,
quod Angeli hominibus invidere, quodque de excellentiâ
Hominis, à Messiâ exosculati, ex sententiâ Patrum ac Ju-
dæorum, exponit RAYM. Pug. Fid. p. 691. Cantic. VIII. i.
Quis dabit te mihi sicut fratrem lactentem ubera matris meæ?
inveniam te foris, osculabor te, & non dispicient me. --- Et
non dispicient me, Angeli scilicet, qui ante ista oscula despi-
*ciebant me, dicentes: (Ps. IIX. 5.) Quid est homo, quod mem-
oris sis ejus, & filius Adam, quia visitas eum? Benè igitur
dictum est: Osculetur me osculis oris jui. Conf. ibid. cap.V.
*dist.**



dist. 3. Nihil ergo impedit, per Hominem, vel Filium Hominis, hoc loco & Humanam Naturam Christi, tanquam exemplum, ut Pueros ad v. 3. Matth. XXI. 16. intelligere, & deinceps quoque cum Davidem ipsum, tum ceteros quoque, seu Fideles seu Infideles, certo modo includere. Quos enim Christus redemit, hos dicitur assumisse.

§. XIV.

Laudat (3) hoc Mysterium Psaltes noster, cum describit *Statum Exinanitionis* in Christo v. 6. quod solius Hominis causâ, hunc Hominem ad tempus Deo ipso minorem, quin desertum ab illo exhibuerit, qui alias tantâ majestate præditus sit. Sic enim ille: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* In Hebræo est: *Minorem eum paululum fecisti Deo.* Sic & Theodot. & Vet. Edit. ap. Drus. Fragm. Veter. Interpr. θεαχύῃ παρὰ Θεὸν. Alius: ὁλίγου παρὰ Θεὸν. Per illud, *paululum*, Hebr. υψη, non discrimin rei, cum ingens omnino illud fuerit inter Deum & Christum, sed intervallum temporis designare videtur. Unde LUTHERVS: *Du hast ihn lassen eine kleine Zeit von Gott verlassen seyn.* Nam tempus illud Exinanitionis XXXIII. annos circiter continebat, quod erat ætatis Christi, & in quo quidem Gradus hujus Humiliationis diversi, at eò breviores. Hinc Christus Joh. VII. 33. *Adhuc modicum tempus vobiscum sum.* Et Paulus I. Cor. VII. 29. *Hoc itaque dico fratres: Tempus breve est.* Nempe quod ætatem hominis, in conjugio degentis, vel & ætatem ejus in genere, concernit. Sed quomodo jam minor factus est Deo Christus, quo minor fieri haud potuit? Persistit David in alloquio ad Filium Dei. Ideoque Deus ipse vel Divina Natura in Christo, nec mutari, nec inferior Deo fieri potuit. Vnde Deus quidem est, qui Christum fecit minorem, Christus ipse, vel Persona



sona Christi, minor Deo facta. Primò, dum Usu Maiestatis
 Divinæ, per Unionem Hypostaticam sibi communicatæ, ut
 homo, se abdicavit, vel saltem occultè eam exercuit. In eo
 enim haud convenerunt quondam Tubingenses & Gies-
 senses Theologi, cum hi abdicationem, illi solùm occulta-
 tionem propugnarent, de quo Anno 1624. arbitrium in se
 Theologi Saxonici in Decisione suscepérunt. Es. LIII. 2.
*Non est species ei, neque decor, & vidimus eum, & non erat
 aspectus.* Deinde etiam, cum Paupertatem spontaneam e-
 legit. Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quo-
 niā propter vos egenus factus est, cum esset dives, ut illius
inopia vos divites essetis; quæ verba Pauli sunt II. Cor. IIX, 9.
 Conf. Luc. IX, 58. Qui gradus priori inferior. Sed infimus
 tandem erat, cum ab ipso Deo pariter atque ab hominibus
 desereretur. Quod ipse fassus est, cum exclamavit in cruce
 voce magnâ : *Eli, Eli, lamma sabachtani?* hoc est : *Deus
 meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Matth. XXVII,
 46. Paulus breviter effert per *Passionem Mortis* Hebr. II, 9.
 Ubi nihil Maiestatis aut potentiae pristinæ ac Divinæ in
 Christo residuum videbatur. Tam occultè Redemptorem
 ipse agebat. Usu enim vel Effectu ipso privari haud po-
 tuit, alias negotium frustraneum ac nullum fuisset, neque
 ipse dici potuisset Redemtor. At quid fiet de Angelis? de
 quibus hoc explicant LXX. Interpretes, & ex his, pro
 more Scriptorum Novi Testamenti, Epist. ad Hebræos,
 c. II, 7. *Minuisti eum paulò minus ab Angelis.* Conspicua
 ergo hæc subiectio statim ab initio officii ipsius, quod à
 Tentatione Sathanæ incipiebat Matth. IV, ii. ubi *Angeli*
 accedebant, eique *contrà Sathanam ministrabant.* Conspic-
 ua quoque, cum Luc. XXII, 43. appareret *Angelus*, eum
 in summis *angoribus confortans;* de quâ *Confortatione
 Angelicâ* vid. Disp. D. Mayeri. Et his quoque suppetiis



ipsum spontē carere voluisse, constat ex eo, quod Matth. XX VI, 53. nec *duodecimi Angelorum Legiones* in auxilium suum desideraret. Qui ergo à Deo desertus erat, etiam ab Angelis non poterat non deseriri, atque his esse minor. Quod si autem de homine in genere intelligas, Angelis non inferior esse potest, qui à Christo redemptus, & eo honore dignatus est, ut ipsius Naturam adsumeret, sed potius superior. Ideoque Autor Ep. ad Hebræos hic demū incipit Jesum digito demonstrare, cùm nemo hoc pacto in consortium eius veniat Hebr. II, 9. *Eum autem, inquiens, qui modico, quam Angeli minoratus est, videmus Jesum.*

§. XV.

Denique, cùm tantam Exinanitionem, hominum gratiā à Christo Redemptore electam, deprædicavit Psalmista, ad Statum Exaltationis (V) pergit v. 6. 7. 8. 9. Gloriā & honore coronasti eum: & constituki eum super opera manuum tuarum. Omnia subjecisti sub pedibus ejus, oves & boves universas, insuper & pecora campi. Volucres cœli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris. Hanc rerum metamorphosin primò hinc in genere commemorare videtur Petrus I. Ep. I, II. Scrutantes, in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi: prænuncians eas, quæ in Christo sunt Passiones, & posteriores Glorias. Deinde & in specie Paulus Phil. II, 9. sqq. Propter quod & Deus exaltavit illum, --- quia Dominus Jesus Christus in gloriā est Dei Patris. Quod tamen ita capiendum non est, ac si pro se quicquam promeruerit Christus, aut promerere necesse habuerit, sed quod hæc omnia ordinem actuum, ad Redemptionem pertinentium, atque se invicem subsequentium, involvant. Primum ergo Exinanitionis consequens geminum, est *Gloria, & Honor*, non quod duo hæc ante non habue-



habuerit, aut quod à Personâ Christi separanda sint, sed quod hîc sermo Davidi sit de Humanâ eiusdem Naturâ, utpote secundum quam humiliatus fuerat, & à Deo deser-tus, & secundùm quam idèò exaltari iterum debuit. *Gloria inquit, & Honore coronâsti eum.* Duo hæc se invicem subsequuntur vel supponunt. Supremus Honor, qualis soli Deo competit, requirit etiam Gloriam supremam. Sed hîc etiam instar Coronæ Christi sunt, quâ fulgeat in infinitum Redemptor. Fulgeat, ut *Rex simul & Sponsus*. Ita Salomo Rex de eo, in figurâ, Cantic. III, ii. *Egredimini & videte filiæ Sion, Regem Salomonem in diademeate, quo coronauit illum Mater sua, in die desponsationis illius, & in die lœtitiae cordis ejus.* Fulgeat, quoque ut *Victor*, cui campus ab hostibus relictus. Non enim coronatur, nisi qui legitimè certaverit, II. Tim. II, 5. Cuius ipse Imaginem præbuit Johanni, qui Ap. XIV, 14. *Vidit eum super nubem sedentem, similem Filio Hominis, habentem in capite suo coronam auream.* Gloriam autem & Honorem hunc excipit Dominium, seu Regimen, super omnia. *Constituisti, inquit Psaltes, eum super opera manuum tuarum, v. 7.* Et statim v. 8. 9. nominat oves & boves universas, insuper & pecora campi. *Volucres cæli, & pisces maris, qui perambulant semitas maris.* **LUTHERVS:** Augustinus cum suis ad Allegoriam fugit, sed non effugit. --- Oportet enim oves, boves, volucres, pisces, pecora, hîc ad literam intelligi. Scilicet ea Opera Manuum Dei sunt. Etiam si hæc Locutio solum Inductionem præferat, vel Synecdochen, quâ Pars sumitur pro Toto, vel certæ quædam species pro omnibus. Quâ etiam utebatur Deus, cum hominem primum condere ad Imaginem & Similitudinem suam, & eiusdem potestati species easdem sub-jicere, decerneret. *Et præsit, dicitur idèò Gen. I, 26. piscibus maris, & volatilibus cæli, & bestiis, universæque terræ,*



omnique reptili, quod movetur in terra. Utut plura etiam in hoc ipsius dominium usumque cederent, quam quæ hic nominantur. *LVTHERVS* quidem ideo l. c. *Confiteor meam ignorantiam, nec quid dicam habeo.* Sed addit: *Movebo tamen aliis cogitationes, quando aliud non possum.* Eadem igitur, & iisdem nominibus, ut in Genesi, hic iterum repetuntur, ut constet inde, verum hominem, & ab Adamo primo descendenter, esse Christum, qui dicitur ideo *Primogenitus in multis fratribus Rom. VIIII, 29.* & quæ à primo Homine Terreno amissa, eandem in secundo Homine Cœlesti, & per illum, restauratam esse *Dei Imaginem*, I. Cor. XV, 49. Sed longè tamen priora illa & multitudine & pretio vincunt, quæ per hoc Dominium Christus accepit. *Dominum eum, & Christum fecit Deus, quem vos crucifixistis*, ut Paulus ad Judæos Act. II, 36. simul, ut videtur, his verbis Psalmi VIII. utens. *Dominum*, ad imperandum in Regno totius Naturæ, absoluto quodam dominio, quod alioqui suprà conditionem humanam est, & soli Deo competit. Qualis est rerum Conservatio & Providentia ; de quâ ipse Joh. V. 17. *Pater meus usque modò operatur & ego operor.* Et Hebr. I, 3. *Qui cum sit splendor glorie & figura substantiæ ejus, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dextram Majestatis in excelsis.* Quo sensu etiam has species repetit Deus, sibi que adscribit Ps. L, 10. II. 12. *Quoniam meæ sunt omnes feræ sylvarum, jumenta in montibus, & boves.* Cognovi omnia volatilia cœli. Et pulcritudo agri mecum est. Si esuriero, non dicam tibi. Hinc omnia tandem complectitur: *Meus enim est orbis terræ, & plenitudo ejus.* Christum verò, etiam in Regno Gratiae ; quorsum tendit Paulus, cum hunc locum citat Eph. I, 22. 23. *Et omnia, inquiens, subjecit sub pedibus ejus : & ipsum dedit caput suprà omnem ecclesiam, que est cor-*



corpus ipsius, & plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur, vel adimpleat. Sed denique præter Dominium etiam Exaltationis pars est *Victoria Christi*, quæ his verbis indicatur : *Omnia subiecit sub pedibus ejus.* Quæ Paulus L.c. & I. Cor. XV, 25. 26. item Hebr. II. 8. 14. ad *Spiritualia* applicat ; item ad *Orbem Futurum* v. 5. Nam cum Naturâ Christo conflictandum non erat, sed cum eo, quod Naturam vitiaverat, Hominisque Saluti erat adversum. Hoc Deus iam promiserat in *Paradiso Gen. III, 15.* *Ipse conteret caput tuum, & tu insidiaberis calcaneo ejus.* Et postquam à Christo adimpletum , Johanni in Visione ostendebatur Apoc. XII, 9. cum *serpens ille antiquus projiceretur in terram, & Angeli ejus cum illo istuc missi sunt, Christoque Salus & Virtus, & Regnum Dei, & Potes tas adscriberetur.* Equidem sibi contradicere videtur Apostolus Hebr. II, 8. cum *nihil non Christo subjectum, & tamen nec dum eidem subiecta esse omnia, testatur.* Sed loquitur in verbis prioribus de Victoria, & in posterioribus, de Fructibus Victoriae, sibi invicem succendentibus, & in futuro usque seculo continuatis.

§. XVI.

Cum igitur hæc omnia tendant ad Majestatem Christi Redemptoris, à quâ Psalmum incepit David, in iisdem verbis subsistit, à quibus fecerat exordium. Ideoque Coronidem addit v. 10. *Domine, Dominus noster, quæ admirabile est nomen tuum, in universâ terrâ.* Sunt hæc Affelius simul ac Poëeos Divinæ indicia, qualia & in Qualitate Vocabulorum ac Literarum, atque in diversâ harum positione, in Psalmis Sacris observata esse, distinctius monstravimus in Prolusione nostrâ Academicâ, de Poësi Hebraeorum in Codice Sacro, An. 1723. Nunc autem tantum inde adducimus varias Repetitiones, quibus vel Versuum Hemisti-



misticchia in eandem vocem desinunt, ut Ps. CXIX. 5. vel Versus in eadem Hemistichia, ut ejusd. Psalmi v. 12. 3. 4. item 10. 11. 12. tribus quatuorve vocabulis repetitis; tum verò quibus initium fit à vocibus iisdem, ut v. 6. 7. item 8. & 9. Denique cum incipiunt ab illis aut similibus, quibus finiuntur, ut Hemistichium versus 25. Aut cum Psalmi iisdem versibus elauduntur, quibus inchoantur, ut hic ipse Psalm. CXIX. *Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in seculum misericordia ejus.* Et sic quoque Psalmus IIX. De his Psalmis Thomas Aquinas ad Ps. IIX. 8. *Sciendum est, quod iste Psalmus est Circularis, quia eundem Versum habet in Principio & in Fine.* Quidam sunt Semicirculares, quia non repetunt totum versum, sed partem. Sicut: (Ps. CII. & CIII.) *Benedic anima mea Domino.*

§. XVII.

Præcipuum jam *Dogma*, quod ex hoc Psalmo, & imprimis ex ejus Parte alterâ appetat, est *Communicatio illa Majestatis Divinæ*, quâ *Humanæ Christi Naturæ*, in *Abstracto* consideratæ, tota Divinitatis Plenitudo communicata est, Col. II, 9. sive ut possideret, sive ut magnâ quoque ejus parte uteretur. Quare etiam prolixus in eo est G E S N E R V S, ut hoc probet sub finem Explicat. hujus Psalmi, ac discursum suum his verbis complectitur p. 95. *Christum esse constitutum & factum Dominum, de Christo secundum Divinam Naturam intelligi non posse, nisi velimus cum Arrianis afferere, Christum secundum divinam Naturam esse factum & constitutum Deum ac Dominum, quod quam sit blasphemum, quilibet Christianus homo probè intelligit.*

§. XIX.

Deinde etiam *Refutationem* merentur, qui Scriptores N. T. magis obscurâsse, quam in citationibus suis dicta V. T. explicâsse, afferere audent. Aliter certè Christus Luc. xxiv.



27. Aliter quoque Petrus II. Ep. I. 19. Evidem Textus Hebræus in Psalmo hoc v. 6. *Christum minorem Deo*, dicit, Paulus verò cum LXX. Interpretibus non æquè hunc sensum exahuire videtur, cum hæc verba reddit Hebr. II, 7. *Minorem Angelis*. Vnde LUTHERVS l.c.f. 96.b. Sequendo itaque Hebræum, non possumus Christi minorationem comparatione Angelorum intelligere, cum ut & Erasmus bene infert, non solum Angelis minor sit factus, qui novissimus virorum, & ut dixi, præter Enos, & filium hominis, reliquum non habuit. Ex Apostolo ad Hebreos non liquet, quid velit. Verum ipse B. LUTHERVS l.c. Neque tamen ob id rejicienda est usitata translatio, sive Apostolus, aut quisquis alias scripsierit Epistolam ad Hebreos, cum constet, Apostolum rard citare Hebraicam veritatem, (sicilicet propter Idiomā Græcum, tum temporis vulgatum;) Et quod accedens ad hujus Psalmi testimonium, dicit: *Non enim Angelis subjecit orbem terræ futurum*. Retinet ergo id, de quo locutus erat, & quod Desertionem Dei, vel Minorationem à Deo supponit. Vnde ipse LUTHERVS ibid. *Quid mirum, si & ab Angelis, volente Deo, desertus sit?*

§. XIX.

Admonitionem ad hunc Psalmum, instar Epilogi, annextere licet verbis Apostoli, Phil. II, 5.sqq. *Hoc enim sentite in vobis, quod & in Christo Jesu: qui cum informa Dei esset, semetipsum exinanivit. Humiliavit seipsum, factus obediens usque ad mortem, mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltavit illum.* Idem II. Cor. IV. 10. *Semper mortificationem Jesu in corpore nostro circumferentes, ut & Vita Jesu manifestetur in corporibus nostris.* Et I. Petr. IV. 13. *Communicantes Christi passionibus, gaudete, ut & in revelatione gloria ejus gaudeatis, exultantes.* Conf. I. Petr. I. 6. 7. Hinc bene B. LUTHERVS sub fin. hujus Psalmi in Comment. *Qualem enim exaltasse Christum, hoc*

Psalm



Psalmo scribitur, tales & semper exaltaturus eodem exemplo, cognosci voluit.

§. XX.

Malè verò limites hujus spei excedunt, ac proinde Reprehensionem incurront, qui, ut quondam querebatur LUTHERVS l.c.t. 94. a. fastu nimio turgidi, non separant hominis & Dei gratiam. - - - Quasi parùm sit, Dei gratia, aut non profanum, eodem titulo, Dei & hominis gratiam æquare. Putat enim illos præcipue, qui in Prefationibus Epistolarum, Dei, inquiebant, & Apostolicæ sedis gratia. Sanè nec Cœlos illi opus Digitorum suorum, nec Ecclesiæ vocare possunt, ac proinde nec Doctrinam Ecclesiæ fundare, nec Mores novos introducere. *Quid enim est Apollo? Quid verò Paulus? Ministri ejus, cui credidistis, & unicuique, sicut Dominus dedit, I. Cor. III. 4. 5.* Igitur nec Papa, nec Princeps secularis, ultrà, quam Christus, unus ille Mediator, I. Tim. II. 5. unusque Dominus, Eph. IV. 5. in verbo suo præscripsit, potestatem extendant.

§. XXI.

Solatium denique hinc capiant omnes, quotquot præcipue Admirandis Dei delectantur. Quod si enim pereant omnia, Cœlum tamen immutabile est, quod, quamdiu vivimus, patet contemplantibus, ceterisque rebus, præter animam sensusque, privatis. Et si vel maxime transeant cœlum ac terra, verba tamen Christi non transibunt, Luc. XXI. 33. qui sibi etiam post Mortem ac Resurrectionem suam omnem potestatem in cœlo & in terrâ traditam, asserit Matth. XXIIIX. 18. atque se super omne non-men constitutum esse, quod nominatur non solum in hoc seculo, sed etiam in futuro Eph. I. 21. Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum, sed Homini, Hebr. II. 5.

Hæc spes nostra erit, hæc anchora sacra, nullo seculo peritura.

ow 32



EO.-Beg. 2002

01 A 6727

ULB Halle
003 104 745

3



WA

R. ho



DIS




Solide Wissenschaft kan nicht verborgen bleiben/
 Sie suchet Ehr und Ruhm/ sie schwinget sich empor/
 Sie muß der Ewigkeit des Nahmen einverleiben/
 Der sich um sie bewirbt : Sie öffnet Thür und Thor
 Dem/ der Unsterblichkeit durch sie sucht zu erwerben/
 Sie macht/ daß/ wenn er stirbt/ sein Ruhm nicht könne sterben.
 Zum Muster darf ich Dich/ Herr Schrader/ nur anführen/
 Die Grund-Gelahrsamkeit schwingt Dich ans Sternen-Zelt!
 Hierüber muß ich Dich mit Recht felicitiren!
 Dis ists / das Deinen Ruhm in ew'ger Blüth erhält:
 Herr Schrader/ freue Dich! diß sind die frohen Stunden/
 Da mit der Ewigkeit Dein Nahme sich verbunden!

Mit diesen schlechten Zeilen wolleste seinen
 Respect gegen den Herrn Respon-
 denten bezeugen.

Dessen
 ergebenster Diener

G. G. GOECKING,



Inches Centimetres

Farbkarte #13

23222

PSALTES PROPHETA
 DE
MAJESTATE
CHRISTI
REDEMATORIS
AD PSALMVM VIII.

PRÆSIDE
JON. CONR. SCHRAMMIO
 THEOL. D. ET PROFESSORE PVBL.
 ORDINARIO

RESPONDENTE
LOANNE WELSE

B.I.G.

Black

White

3/Color

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

